



PRÆFAMEN.

DE Exercitio aliquo *Legali* mihi
in tanta materiarum Juridicarum copia cogi-
tanti, cui tandem sese applicaret, diu animus
fuit dubius ; usque dum hæc de *Domicilii Mu-*
tatione præ ceteris arrisit, quippe in ea inveni
amplissimum vires ingenii exercendi campum, nec eam
toties pertractatam ab aliis vel Disputationibus vel pe-
culiaribus libellis deprehendi. Quemadmodum autem
absque ductore viam incedens non ubivis notam, in de-
via facile deflectit ; veniam tamen erroris etiam à quo-
vis habet præ eo, qui vel per negligentiam, aut malitiam
de via decidit : ita, si quæ in hac dissertatione intem-
pestivè minusve commodè dicta, aut præter rem alla-
ta, longiusque petita, plura verò, quæ ad hanc mate-
riam pertinere videbantur, omissa fuerint ; quemad-
modum id imbecillitatis meæ memor, diffiteri non pos-
sum, eò facilius veniam Tuam, *Lector Benebole*, mihi
polliceor. Primæ sunt, quas unquam duxi, lineæ, hinc
eas omni numero absolutas, nemo postulare poterit.
In tenebris huc usque Musis meis litantis, jam verò in
publicum procedentis oculos ab omni caligine nondum
liberatos esse, lubens do : neque verò L. B. à *Te* secun-
dum operis præstantiam, sed secundum voluntatis meæ
promptitudinem judicium me impetraturum confido, &
obnixis etiam precibus contendō.

A 2

CAP.